Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0002-4

21

12

CAROLI HENRICI GEISLERI
PHIL. ET IVRISSC. DOCT. SER. LANDGR. CONS.
REG. PROF. ORD. IVR. PVBL. FACVLT.
IVRID. ASS.

1780, 1e

# COMMENTATIONES DE IVRE FISCI CIVITATVM IMPERII.

P. 122

MARBVRGI
APVD IOHANNEM BAYRHOFERVM
CIↃIↃCCLXXX.

KOENFRIED UNIVERS. ZV HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0003-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0004-5

## §. I.

## IVS FISCI PAVCIS CONSTITVTVM.

Fiſcum eiuſque iura Ciuitatibus imperii optima cauſſa vindicaturus ante omnia conſtituendum arbitror, quid hoc nomine intelligatur. Conſtat enim multiplici vocem ſenſu accipi. Itaque hoc nomine in vniuerſum complector iura omnia, quae Principi tum ad tuendos, tum ad augendos reditus publicos tributa ſunt. Ex quo etiam oppido intelligitur, me neque omnino recedere a iure Romano, neque ei etiam penitus inhaerere, ſed praeter iura ad ſecuritatem redituum publicorum omnis generis pertinentia ex augmentis ad fiſcum maxime referre bona vacantia, caduca, erepta, quaeque ex mulctis vſuque territorii redeant. Quemadmodum enim nequaquam cum Mosero a) omnem vſum legum Romanarum in hac cauſſa improbo, ſed iura prioris generis adeo ſine iis explicari non poſſe exiſtimo: ita e contrario etiam Leysero b) aliiſque adſentiri nequeo, qui in vniuerſa cauſſa ex-



a) *von der Landeshoh. in Cameral-Sachen* c. V. §. 2.

b) Spec. DCLVII. med. I. ſqq.

explicanda toti pendent a legibus et inſtitutis Romanorum et quodcumque veteres Romani ante Iuſtinianum de aerario, fiſco et patrimonio Principis habuerunt iuris, id ad nos ſimpliciter transferunt, fiſcumque, domanium et cameram ſynonyma eſſe arbitrantur, adeo vt, temere et ſine cauſſa vocabula eiuſdem rei multiplicari, conquerantur. Equidem ſic exiſtimo ac mihi plane perſuaſum habeo, vt, quae iura fiſci primum ad augendos reditus pertinent, ea ex legibus moribuſque Germanorum domeſticis aut communibus aut propriis potius, quam ex peregrina diuerſaque prorſus Romanorum diſciplina aeſtimari debeant. Nam etſi ipſam eorum originem neutiquam cum Grotio c) et qui eum praeter alios inprimis ſecutus videtur, Cramero d) a Germanis ſolis repetere ſoleo, ſed eos potius conditis ciuitatibus primam eorum notitiam a Romanis accepiſſe reor: poſthaec tamen et multo plures inter nos, quam apud Romanos, compendiis fiſci potiti ſunt, et vero etiam ipſa compendiorum illorum ratio ita augeri, variari et mutari coepit, vt hactenus quidem cum eodem, quem modo dixi, Cramero e) ius Romanum in cauſſis fiſci neceſſario nunc deferendum videatur. Deinde vero non negauerim quidem, Romanos olim fiſci nomine amplexos eſſe, quidquid bonorum aut redituum Principes

c) de Iur. B. et P. II, 8, 5.
d) in Obſſ. iur. vniu. To. V. p. 337.
e) ib. p. 150 ſq.

cipes iure imperii ad tuendam rem familiarem haberent, eorumque exemplo maiores quoque noſtros omne genus bonorum rerumque domanialium, cameralium menſaliumque ita ſaepius dixiſſe. Id enim dubium plane habere non poteſt inprimis ex praeclaris diſputationibus Comitis illuſtriſſimi DE BVATO f) innumeriſque et legibus et chartis, quae diu admodum hoc ſenſu fiſcos, aduocatos praepoſitoſque fiſcales g), agros fiſcales, aut pro menſalibus adeo Praelatorum h) fiſcalia commemorant. Inſecuto autem tempore camerae fiſcique hoc diſcrimen factum eſt, vt, quod MVRATORIVS i) quidem, ſed aliam tamen ad cauſſam animaduertit, Camera fiſco latius pateret, ad hunc quippe proprie relatis iis commodis, quae ſupra poſui. Quod licet non certo plane dixerim conſtitutione Fridericiana k) de controuerſiis fiſcalibus, quae inter ciuitates Langobardicas Caeſaremque interceſſerant, demum effectum eſſe, ab eo tamen tempore, quo ea in Germania quoque de regalibus abuti coepit iuriſconſultorum vulgus, ita fere inualuit, vt, ſi quis ius fiſci ſimpliciter dicat, id genus augmentorum potiſſimum intelligendum ſit.

§. II.

f) *dans les Origines* Tom. II. p. 444. ſqq.

g) vti in Cod. Eberſpergenſium n. XLV. ap. OEFELIVM To. II. Scr. Boic. p. 24.

h) vt in Bulla Papali An. CIↃCLXXXI. ap. ERATHVM in Cod. diplom. Quedl. p. 100.

i) in Antiq. Ital. Diſſ. XVII. To. I. p. 939.

k) II. F. 56.

## §. II.

## IMPERATORIBVS INITIO VINDICATVM.

Iam vt progrediar ab his principiis, dubitari porro non poteſt, antiquis temporibus Imperatores, quamdiu ſoli ſummam rerum in Germania habuerunt, id quoque iuris, quale quaeque aetas ferebat, ſolos omne habuiſſe. Equidem haut ignoro, multos praeter Imperatorem etiam aliis iura fiſci in Germania olim ex immunitate fundorum tribuere. Enimuero loca veterum chartarum, quibus ad confirmandam opinionem vtuntur, partim non intelligi debent de iure fiſci, quod hoc loco dico, ſed de tributis, quae quotannis fiſco e fundis pendendi erant, partim etiam pertinent ad recentiorem aetatem, qua ius regium iam infringi et imminui coeperat, vt ex iis adeo ab initio illa fiſci iura praeter Imperatores Regeſque in quemquam alium cecidiſſe non adpareat. Conficit rem tum in vniuerſum omnis hiſtoria inſecuti temporis, quo diu adhuc Ordines imperii illo iure tantum fere per exceptionem aliquam vſi intelliguntur, tum inprimis hoc, quod principio Duces Comiteſque non niſi magiſtratus erant, et quidquid agebant in prouinciis, non tam iure quodam proprio, quam potius ex perſona, mandato et ſacra Regum vice facere ſolebant. Animaduertit ſcrupulum PVFENDORFIVS, vir ſummus, atque illud adeo l) non ad prouincias, ſed ad allo-

l) de iuriſdict. Germ. P. II. Sect. III. c. I. §. 167. p. 386. ſqq.

allodia et aduocatias retulit. Verum ne quid de ambiguo aduocatiae inſtituto dicam, ſumma licet Viri apud me auctoritate non video, quomodo ad iura illa praecipua ab immunitate allodiorum concludi poſſit, cum ne beneficiarii quidem homines, quorum dignitate ac iuribus quam plurimos olim ad oblationes allodiorum in feudum vel beneficium excitatos fuiſſe MONTESQVERIVS m) recte obſeruat, iis vſi videantur, neque ipſa adeo illa immunitas allodiorum tanta fuerit, vt omnem poteſtatem Regum n) in ſeruitiis tributiſque indicendis excluderet. Quapropter neque ibo per iura ſingula, quae vel ſic ab aliis ex chartis vetuſtis dudum ſunt conſtituta, neque etiam quaeram magnopere, vtrum compendia patrimonio Regum, an reipublicae fuerint adplicata, cui diſputationi DODECHINVS o) locum dare poterat. Nam vt hoc obiter ac velut aliud agendo admoneam, plane mirum eſſe non poteſt, contra Lotharium Ordines in conuentu illo Ratiſbonenſi de compendiis illis fiſci iudicaſſe, cum eo quidem tempore Principes noſtri, poſtquam ad faſtigium maieſtatis peruenerant, nihil amplius proprii haberent, ſed ex republica viuerent.

§. III.

m) *de l'Eſprit des loix* XXXI, 8.

n) v. ANT. DOMINICVS de praerogatiua allodiorum c. XXII, §. 4.

o) in Cont. Mar. Scoti ad a. 1125. ap. PISTORIVM in Scr. Rerr. Germ. To. I, p. 671. Ed. rec.

## §. III.

## MOX AVTEM COMMVNICATVM ORDINIBVS IMPERII.

Venit autem mox id iuris etiam ad Principes Ordineſque imperii, quod quando primum factum ſit, noſtra maxime aetate ab HANSELMANNO p), STRVBENIO q) et GERKENIO r) varie diſputatum fuit. Quam litem etſi meam facere nolo, ita tamen et facillime et optime componi poſſe arbitror, vt *initio* dicas Principes noſtros fiſcum nonniſi ex mandato Imperatorum, *deinde* vero iure quidem proprio, at concurrenti habuiſſe, donec eum *ad extremum* ſibi iure territorii vindicarent omnemque illam poteſtatem Caeſarum ex finibus ſuis excluderent. Vnde, cum principia iuris tam proprii, quam territorialis non vbique ſint eadem, facile adparet, origines fiſci territorialis in vniuerſum definiri non poſſe, ſed diſpicienda eſſe ſingulis locis principia, a quibus ſuperioritas territorialis ad hanc, quam nunc habet, amplitudinem paullatim adcreuerit. Equidem non ſoleo omnia loca, vbi fiſcus commemo-

p) in *dem dipl. Beweiße, daß dem Hauſe Hohenlohe die Landeshoheit lange vor dem ſogenannten groſſen interregno zugekommen.* p. 207. ſq. et in *der Beleuchtung des vernichtigten Beweiſes der T. Reichsſtände völligen Landeshoheit* p. 313 ſq.

q) in *dem Vernichtigten Beweiſe der T. Reichsſtände völligen Landeshoheit vor dem ſogen. groſſen interregno* p. 69. ſqq.

r) in *den vermiſcht. Abhandlungen aus dem Lehn und Teutſchen Rechte* To. I. p. 220 ſqq.

memoratur, ad hunc confeſtim pertrahere, quae late ſaepenumero accipi debent, ſed habet tamen, ne ipſe ſine cauſſa plures anquiram, PFEFFINGERVS s) inprimis de eccleſiaſticis hominibus, quibus id contra vexas ſecularium primum contigiſſe videtur, auctoritates veterum ſcriptorum et chartarum, quae illud, quod de origine fiſci territorialis ex mandato Caeſarum perhibui, praeterquam quod ex diſciplina priſca reipublicae per ſe intelligitur, exemplis etiam confirmant. Tum vero iuris proprii exemplum aliquod egregium ex aetate Henrici IV. qua quidem primum proprietas illa iuris orta videtur, supereſt in charta Sifridi Moguntini, qui quidem An. CIƆLXXIV. t) ſcribit: *noſtrae ſpeculationis exigit officium, vt nobis commiſſa, ſumma diligentia lucrifacere ſtudeamus, ita vt in omnibus vtiliora et meliora proſpiciamus. Nouerint itaque vniuerſi tam futuri, quam praeſentes XPI noſtrique fideles, quod pago noſtro in Rudensheim et in Ibingen, quedam terra inculta iacebat, que per omnia noſtre iurisdictioni attinebat, quam populus noſter Dei in dictis villis noſtris renouare et excolere ex noſtra conceſſione querebat. Super hoc habita deliberatione cum fidelibus noſtris, Clericis et Laicis, ſatisfecimus petitioni populi noſtri; et terram illam montuoſam et incultam eis conceſſimus, vt eam excole-*



s) in Vitriario illuſtr. To. III. p. 1512.

t) ap. GVDENVM in Cod. dipl. T. I. p. 381 ſq.

*colerent et in vſum Vinearum redigerent. Iuſſimus ergo terram illam eis diuidi; et quid inde cum eam excoluiſſent et fructiferam reddidiſſent, ſoluere deberent, iuſſimus diſtingui. Hoc etiam in pactione poſuimus, vt de manſo, qui fiſcalinus dicitur* etc. Atque ipſos adeo Comites mature illo iure vſos eſſe alio loco v) animaduerti ex diplomate quodam Iohannis et Gerhardi, Comitum Holſatiae u), quo quidem, *volumus*, inquiunt, *vt hereditates eorum, qui de illegitimo toro nati ſunt, ad eorum heredes poſt ipſorum obitum deuoluantur.* Sed concurrentem tamen fuiſſe poteſtatem Caeſaris, praeter alia omnia docet conſtitutio Henrici illuſtris de Iudaeis w), vbi inter alia ſancitum legitur: *ſi conqueſtus fuerit Chriſtianus de Judaeo* CORAM IMPERATORE, *etſi Judaeus tenebitur vadiare, vadiabit marcam auri. Item ſi* CORAM NOBIS *conqueſtus fuerit Chriſtianus de Judaeo, et ſi Judaeus vadiare tenetur, vadiabit ſimiliter marcam auri* etc. Eoſdem vero Iudaeos aliquot ſeculis poſt Fridericus bellicoſus An. CIↃCCCCXXV. x) planis verbis vocauit *ſeruos camerae ſuae*, ac Sigiſmundum adeo Imp. An. CIↃCCCCXVIII. manifeſto iuris territorialis argumento tertiam iis non aliter

v) in Diſp. poſt. de coniunct. Comit. Holſ. cum Duc. Sax. c. IV. §. 14. p. 64.

u) ap. STAPHORSTIVM in Hiſt. eccl. Hamburg. To. II. p. 34.

w) ap HORNIVM in vit. Henr. illuſtr. p 320.

x) ap. HORNIVM in vit. Frid. bell. p. 899.

ter imponere paſſus eſt, quam ſcripta ab eo y) ſyngrapha, ne fraudi hoc ſibi ſuiſque foret, quod nunc quidem per ſe intelligitur.

## §. IV.

## VNDE ETIAM AD CIVITATES IMPERII PAVLLO QVIDEM SERIVS

Quae cum ita habeant, per ſe non obſcurum quidem eſſe poteſt, Ciuitates imperii quoque hac poteſtate cum reliquo territorii iure potitas paullatim eſſe, neque id tamen tam cito iis, quam reliquis Ordinum contigiſſe cum MORITZIO z) exiſtimandum eſt, ſed ſi pauciſſimas, v. c. Lubecam, exceperis, multo ſubinde tardius ſeriuſue euenit, adeo vt Spirae An. CIↃCCCCLXXII. adhuc Imperatorem ſibi hereditatem vacantem ex iure Romano vindicaturum fuiſſe apud HARPRECHTVM aa) Vir. Perill. reperiam, qui quidem ipſe hoc exemplum etiam alias ob cauſſas perquam memorabile iudicauit. Neque id mirum cuiquam eſſe debet. Aduocati enim legatique, quos ſi non in omnibus, ſaltem in pleriſque eiuſmodi ciuitatum habebant Caeſares, diu admodum effecerunt, ne quid poteſtatis imperatoriae ipſis ciuitatibus adcreſceret.



y) ap. EVMDEM loc. cit. p. 831.

z) *vom Urſprunge der Reichsſtädte* p. 54.

aa) in *dem Staats-Archive des Kayſ. Reichs-Cammergerichts* To. I. p. 76. 254 ſqq.

ret. Tum Imperatores quoque ipſi non modo ſingula bb) in iis habebant bona cameralia, vnde iuri ſuo diligenter proſpicerent, ſed, quod ad ius fiſci inprimis valet, vniuerſas quoque in patrimonio ſuo collocabant multiſque adeo modis et compendiis, de quibus nunc poſt HAEBERLINVM cc) V. A. nihil amplius dicendum, obſtrictas ſibi tenebant. Ex quibus omnibus fiſcum Caeſaris in Ciuitatibus imperii eo diutius perduraſſe adparet, quo magis illa de patrimonio Caeſarum opinio omni nondum vi daſtituta eſt, Ciuitateſque ipſae in pacificatione adhuc Weſtfalica, cum maiorem adhuc vim habere videretur, ad eam infringendam inter alia planis verbis rogaſſe dd) leguntur: *daß die Frey- und Reichs-Stædte bey ihrem hergebrachten iure ſuffragii deciſiuo unangefochten gelaſſen, und darwider einigerley Geſtalt nicht graviret, noch für Patrimonial- und Cammer-Güter, oder unter dieſem Scheine, Schutz und Schirm einem oder andern hohen Hauſſe verbunden zu ſeyn, (wie unter währenden dieſen leidigen Kriegs-Zerrüttungen ſowol in ſcriptis publicis, als Privatdiſcurſen und ſonſten geſchehen iſt) gehalten werden.*

§. V.

bb) v. GRASHOFIVS in Orig. Mulhuſanis p. 75.

cc) in *dem Auszug der allgem. Welt-hiſt.* To. VIII. p. 263 ſqq.

dd) ap. GAERTNERVM in *der Weſtphael. Friedensc.* To. IX. p. 423.

## §. V.

## SED EADEM TAMEN CAVSSA PERVENIT.

Quemadmodum vero inter reliquos Ordinum ad ius fiſci ipſum nihil refert, vtrum ſerius aliquis, an citius eo potitus ſit, ſed omnes eodem illud modo per ſuperioritatem territorialem vſurpant: ita recentia fiſci initia Ciuitatum quoque iuribus nihil detrahunt, ſed aequaliter cum excluſione Caeſaris fiſcum non ſingulari quodam titulo, ſed vniuerſo ſuperioritatis territorialis iure habent. Vnde non dubitauit Ordo noſter An. CIↃIↃCCLXXVIII. cum ex actis conſtaret crinium illos et capillaturae reges et artifices apud Francofurtanos inſignia, quae aere exſcripta habebant, galea aperta ornaſſe, quamquam contra maieſtatem imperatoriam peccatum maxime videbatur, tamen non modo fiſcum ciuicum contra eos excitare, ſed huic ipſi etiam exempla imaginis decernere, ne quid dicam de aliis eiuſmodi exemplis, quae in collegio Erlangenſi mihi quondam obtigerunt. Ac primum quidem excluſio illa Caeſaris, quamquam nunc per leges, de quibus paullo poſt dicetur, in plano conſtituta eſt, ſubinde tamen ſuperiore inprimis ſeculo in controuerſiam venit. Nam cum belli tricennalis tempore contra libidinem fiſci Caeſarei An. CIↃIↃCXXX. Electores in conuentu Collegii ee) rogaſſent, *daß den Standen, ſo mit dem Kayſ. Fiſco belehnt, mit Ein-*

ee) ap. LONDORPIVM To. IV. Act. Publ. p. 55.

*Einziehung und Vergebung ihrer Lehen und Unterſeſſen Güter nicht eingegriffen werde*, Imperator quidem ff) reſpondit: *was fürs ſiebende Ihr. Kayſ. Majeſtæt wegen Einziehung etlicher unter den Reichsſtänden geſeſſenen Rebellen Güter angeordnet, deß wiſſen ſie zwar ſich guter maſſen beſcheiden, können aber hierbey nicht ermeſſen noch befinden, daß ſie deswegen einigem Churfürſten und Stand, welcher des iuris fiſci gerechtiget, einigen Eintrag gethan haben ſollen. Sintemalen ſolches aus kayſerlichen Gnaden etlichen Ständen mitgetheiltes ius fiſci auf das crimen laeſae Majeſtatis den Reichs-Conſtitutionibus, wie auch der Güldenen Bulle nach ſich nicht mag erſtrecken, ſogar daß, wann auch einer aus den Hochlöblichen Churfürſten, qui ſunt pars corporis ipſius Imperatoris, von jemanden beleidiget und alſo crimen laeſae Majeſtatis gegen deſſen einige Perſon begangen, nach Inhalt der Güldenen Bull die Beſtrafung und Confiſcation nicht dem beleidigten Churfürſten, ſondern Kayſ. Majeſtæt zuſtehet und gebühret.* Sed grauiter his conticente tandem Imperatore contradixerunt gg) Electores: *es wollen die Hochlöblichen Churfürſten und die Churfürſtliche Herren Geſandten nicht verhoffen, können ſich auch dazu nicht verſtehen, daß denenjenigen Ständen des Reiches, ſo mit dem kayſ. fiſco belehnt, in deſſen Nutzbarkeiten, vielweniger den Chur-*

*für-*

ff) ap. EVMD. *ib.* p. 67. gg) ap. EVMD. *ib.* p. 72.

*fürſten in crimine laeſae Maieſtatis an würklicher Beſtrafung ihrer ungemittelten Unterthanen und Landſaſſen einiger Eingriff den Rechten und Reichsabſchieden, auch Ihrer Kayſ. Majeſtæt ſelbſt eigenen Avocatoriis zuwider geſchehe; zumal weil eben derjenig fiſcus, davon lex quiſquis Meldung thut, den Ständen gleich andern hohen Regalien und Oberkeitlichen Rechten gänzlich und privative eingeraumet und übergeben worden, deſſen ſie auch billig ungehindert männigliches genieſſen ſollen.* Eodemque modo poſt pacem Weſtfalicam An. CIↃIↃCLXXIX. Euangelici hh) ab Auguſto petierunt, *an den Bücher-Commiſſarium zu Frankfurth ernſtlich zu reſcribiren, daß er weder die Stadt Frankfurth, noch einigen Reichsſtand und Obrigkeit an Vollziehung deſſen, was ihr iure ſtatus et territoriali gebühret, und die Reichs-Conſtitutionen, wie auch Policey-Ordnung wegen dergleichen Confiſcirung erfordern, nicht hindern, ſondern vielmehr den Reichsſtänden ihre desfalls habende iura unangefochten laſſen ſolle.* Quo ipſo loco etiam alterum illud, quod de cauſſa fiſci territorialis non ſingulari, ſed vniuerſali paullo ante ſcripſi, mirifice confirmatur, atque nunc eo minus in dubitationem amplius vocandum videtur, quo magis Nobilibus adeo imperii immediatis ipſa licet ſuperioritate territoriali deſtitutis Conſiliarii auguſtales ex iure territorii fiſcum tri-

hh) ap. SCHAVROTHIVM in Concl. Corp. Eu. To. I. p. 142.

tribuere coeperunt, planiſque verbis An. CIƆIƆCCLXXIII. ii) ſcripſere: *obgleich das ius fiſci jedem Privat-Ritter bey den Gütern ſeiner Unterthanen, worüber er die iura territorii zu genieſſen hat, zuſtehet: ſo kann doch ſolches dem Canton in complexu über ein Rittergut, worüber er keine Landeshoheit oder ſonſtige iura propria hat, und alles ex mera delegatione Caeſarea verrichtet, nicht competiren, ſondern dieſes iſt Kayſ. Majeſtæt ganz allein geeignet.*

## §. VI.

### CVI REI NON OBSTANT PRIVILEGIA CAESARVM PECVLIARIA.

Sed obiiciuntur tamen nonnumquam cauſſae Ciuitatum priuilegia, quibus olim a Caeſaribus iura illa fiſci aut vniuerſa aut ſingula adeo impetrarunt, quoniam per hanc rationem non ex ſuperioritate illa, ſed ex priuilegiis vſurpare, ac ſine his adeo ſumere ſibi non poſſe videntur. Cui argumento multum inde potiſſimum ponderis accedit, quod hoc etiam nata dudum efformataque ſuperioritate territoriali ſaepius eueniſſe nouimus. Ne quid enim de Friderico III. dicam, qui An. CIƆCCCCLVII. incerto adhuc ſuperioritatis territorialis ſtatu kk) Aquiſgranenſibus ius mulctarum tribuit, Iſnenſes a Maximiliano I. Imp.

ii) ap. MOSERVM in *dem R. Staats-handbuche* To. II, p. 468.

kk) ap. MOSERVM in *dem Reichtſtättiſchen Handb.* To. I. p. 51.

Imp. An. CIↃCCCCXCVI. demum ll) impetrarunt, *daß, wo Fremden liegende Güter in der Stadt Marck und Etter gelegen erblich anfielen, ſie ſolche an niemand, dann Bürgere und an keinen Euſſern verkauffen, oder darmit dieſelben angefallene Güter verwürkt haben, und die den ehegenannten Burgermeiſter und Rath zu Iſny zur Poen verfallen ſeyn ſollen,* ſimiliterque Buchornienſes ab eodem An. CIↃIↃXVIII. per priuilegium a Carolo V. deinde auctum mm) hoc conſecuti ſunt: *wann und ſo offt hinfüro in ewig Zeith Perſonen, die keinen Erben verlaſſen, oder die auſſerhalb der heiligen Ehe gebohren, die zue Zeithen ihres Abgangs bey ihnen in der Statt Buchhorn — erbohren ſein — ohne ehelich Leib Erben mit Todt abgehen, daß darauff derſelben verlaſſen Haab und Guether — die ſonſt nach gemainen geſchribenen Rechten in unſer oder unſer Nachkommen am Reiche, Kayſer und Kœnigen, Cammer verfallen weren, denenſelben Burgermaiſter und Rath der Statt Buchhorn und ihren Nachkommen daſelbſt zuegehörig ſein und verbleiben ſollen etc.* Omitto plura, inprimis, quae An. CIↃILXXI. Carolus V. Nordlingenſibus nn) de bonis abſentum, aut Ferdinandus I. An. CIↃIↃLIX. Alenſibus oo) contra foeneratores Iudaicos largitus eſt. Namque ex his omnibus atque



ll) ap. EVMDEM To. II. p. 18.

mm) ap. EVMDEM. To. I. p. 264. ſqq.

nn) ap. EVMD. To. II. p. 260.

oo) ap. EVMD. To. I. p. 87.

que aliis pluribus, quae ex recentiore adeo aetate haberi poſſint, neutiquam exiſtimandum eſt cum PFEFFINGERO pp) Ciuitates imperii demum ius fiſci nactas eſſe, ſed efficitur tantum, quod aliis quoque in cauſſis factum, vt cuius recenti adhuc incertaque ſuperioritate territoriali aut nondum prorſus ſibi conſciae, aut non ſatis ſecurae eſſent iuris, id per eiuſmodi priuilegia Caeſarum in plano et tuto collocaturae fuiſſe videantur. Quod cum diu admodum ipſi adeo Principes dominique territoriorum ampliſſimorum ſine detrimento ſuperioritatis fecerint, multo profecto minus Ciuitatibus fraudi eſſe poteſt, quae praeterea etiam aut inopia virium, aut vitio conſiliariorum ex Romano plane iure ac maieſtate imperatoria pendentium diu olim multa ſibi ſumere auſae non ſunt, quae optimo iure poſſent.

## §. VII.

## NEQVE ETIAM I. P. FORMVLA.

Admonendum id potiſſimum ad rectam explanationem I. P. quo cum praeter alia *priuilegia* inprimis *confiſcandi* Ciuitatibus imperii qq) ſarta et tecta eſſe iubeantur, facile aliquis, quod fieri etiam memini, in eam opinionem induci poſſit, vt non ex iure ſuperioritatis, ſed ex ſolis pri-

pp) loc. cit. p. 1513.

qq) Art. VIII. §. 4.

priuilegiis Ciuitatibus imperii id iuris tribuendom eſſe cenſeat. Quod cum admitti non poſſe intelligeret HENNIGESIVS, hoc quidem contendit ita conſtitutum contra impetus fiſci caeſarei, nouique ſatis, SCHMAVSSIO rr), ORTHIO ſſ) aliiſque hac ratione plane videri nodum eſſe explicatum. Sed ſemper tamen ſupereſt quaeſtio, cur non tam *iuris*, quam *priuilegii* verbum in formula pacis poſitum fuerit. Itaque ſic dico, ipſum illum aut errorem aut pudorem Ciuitatum imperii effeciſſe, vt primum omnium legatus a Ciuitate Argentoratenſi, cui rogatio de grauaminibus politicis tollendis mandata tt) ab Euangelicis fuerat, praeter alia peteret, *den Reichsſtädten ihren hergebrachten freyen Stand ſamt allen Rechten, Privilegien, Regalien — von neuem confirmiren, handveſten und vor aller Beeinträchtigung zu bewahren.* Quod cum Euangelici deinde totidem fere verbis vniuerſi repetiiſſent, factum eſt porro, vt Auguſtales, qui fiſco Imperatoris quammaxime proſpectum cuperent variaſque eius rei vias fruſtra tentaſſent, primi, quantum conſtat uu), comprobantibus deinde vocem ww) Catholicis, *priuilegia confiſcandi* de Ciuitatibus imperii commemorarent, quae ad extremum tandem conſentientibus Gallis Ordinibuſque

 vni-

rr) ad KNIPSCHILDVM de iur. ac priuileg. ciuit imp. p. 413.

ſſ) ad Reform. Francof. P. II. tit. 2. §. 3. p. 139.

tt) v. ACT. PAC. To. I. p. 740.

vv) *ib.* p. 825.

uu) *ib.* To. IV. p. 577.

ww) *ib.* p. 805.

vniuerſis xx) in ipſam pacis formulam tranſſcripta ſunt. Neque vero eam mentem fuiſſe Euangelicorum, aut Ciuitatenſium, vt ex ſolis Caeſarum priuilegiis id iuris repeterent, abunde adparet ex iis, quae per eamdem occaſionem iidem yy) ſemel atque iterum rogarunt: *ein groſſes Gravamen beſtehet auch darin, daß, da etwa eines Reichsſtandes Unterthan den fremden Cronen gedienet und eines criminis laeſae Majeſtatis beſchuldiget worden, Ihro Kayſ. Majeſtæt deſſen Güter andern übergeben und hiemit der Stände zuſtehendem iuri territoriali und fiſci merklichen Eingriff gethan haben.*

## §. VIII.
## NEQVE IPSA TANDEM CAPITVLATIO CAESARIS.

Iam poſſis quidem ex Capitulatione Caeſarea zz) non ſine veri aliqua ſpecie noua arma petere, vbi quidem ſancitum: *W. S. u. W. die allodial Güter auch, welche ex crimine laeſae Maieſtatis oder ſonſten verwürket ſeynd oder verwürket werden möchten, denen mit den iuribus fiſci belehnten oder dieſelbe ſonſten durch beſtändiges Herkommen habenden Churfürſten, Fürſten und Ständen, unter welcher Obrigkeit und Bottmäßigkeit ſie gelegen, nicht entziehen, ſondern die Landesobrigkeiten oder Dominos Territorii mit deren Confiſcirung gewähren laſſen.*

Nam-

xx) *ib.* To. V. p. 149 763

yy) *ib.* To. I. p. 826. et To. II. p. 108 957.

zz) Art. XXI. §. 4.

Namque haec verba rogantibus maxime Ciuitatibus imperii aaa) ex Capitulatione Ioſephina in perpetuam illata ſunt. Neque negauerim, quod iam Moservs bbb) vidit, tutius ea omitti. Sed ſeruari etiam poſſe videntur ſine periculo Ordinum, cum haut dubie ſuperſint ex vetere illa de reſeruato fiſci caeſareo opinione, neque nunc autem, quantum quidem nouimus, Imperator vlli amplius Ordinum id iuris in controuerſiam vocet, imo vero ipſe, vt ſupra (§. V.) dictum, ex iure territorii deriuet, Nobilibuſque adeo imperii immediatis tribuat. Vnde ab alio potius eiuſdem Capitulationis loco ccc) malum Ciuitatibus imperii imminere putatur. Quo cum cautum ſit: *auch weder dem Reichshofrath noch dem Büchercommiſſario zu Frankfurth am Mayn zu verſtatten, daß jener auf des Fiſcals oder eines andern Angeben in Erkennung, Fortſetzung und Aburtheilung der Proceſſe und dieſer in Cenſir- und Confiſcirung derer Bücher einem Theile mehr als dem andern favoriſire*, vtique etiam ius fiſci aliquod Imperatori in territoriis Ordinum imprimiſque Ciuitatibus imperii conceſſum videtur. Sed hoc pertinet ſine vllo dubio ad ſolos Francofurtanos, qui cum olim Imperatorem in conſortium curae librariae admiſerint, paullo aliis eius rei normis, de quibus potiſſimum Orthivs ddd), venerandus Senex, copioſe dixit, ſine detrimento iuris communis tenentur.

§. IX.

aaa) v. Moservs ad. Capit. Caroli VII. To. II. p. 101.

bbb) ad Capit. Ioſephi II. To. II. p. 281.

ccc) Art. II. §. 7.

ddd) in *der Nachr. von den Frankfurter Reichsmeſſen* p. 504. ſqq.

## §. IX.

## QVAMQVAM SVVM CETEROQVIN MODVM RES HABERE POTEST.

Eſt enim in vniuerſum tenendum, *primum* vt in aliis cauſſis, ita etiam in hoc iure ex praeteriti aeui diſciplina paullo maiorem ac frequentiorem eſſe auctoritatem Caeſaris in Ciuitatibus imperii, quam inter reliquos Ordinum, adeo vt, quod praeter alios de Nordlingenſibus eee) conſtat, ſaepenumero modum vſurpandi praeſcribat vſurpatiue rationes exigat, id quod tamen ipſi Ciuitatum iuri eo minus quidquam detrahere poteſt, quo magis ex dependentia ſuperioritatis territorialis conſequitur, neque in territoriis adeo Principum inauditi eſt exempli, ſed inter hos quoque, vti v. c. de Hildeſienſi ex Cramero fff) conſtat, euenire nonnumquam ſolet. *Deinde* vero praeter ius illud ſummi imperii quamquam rarius, tamen fieri poſſe, ipſum illud exemplum Francofurtanum docet, vt ex moribus aut obſeruantia diuturna ſi non vniuerſum ius fiſci, tamen ſingulas quaſdam eius partes in Ciuitatibus imperii aut coniunctim Imperator cum ciuibus, aut ſeparatim habeat. Quod quomodo in detrimentum Ciuitatum verti poſſit, non video, cum ſinguli adeo Ordinum, quod *vltimo* tandem loco dictum ſit, per aduocatiam paſſim, protectionem aliaſque

eee) v. *Saml. der R. H. R. Concluſorum vom Iahre* 1761. p. 967.

fff) in *den Wezl. Nebenſt.* P. CIV. p. 410.

que eiuſmodi cauſſas iiſdem iuribus in Ciuitatibus imperii fruantur, neque ipſas tamen, vtcumque hoc ſaepius tentatur, in principatum ſibi vindicare poſſint, ſed iis ſolis, quae pactis moribuſque adquiſiuerunt, contenti eſſe debeant, pro Ciuitatibus quippe imperii, quod nuper aliquoties ex Franconia Sueuiaque interrogatus reſpondi, ex ſuperioritate territoriali militante ſemper vniuerſi iuris praeſumtione. Sed haec latius enarrandi locus non eſt.

* *
*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0025-1

Marburg, Diss., 1775–88

ULB Halle 3
005 359 880

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0027-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0028-8

12

AROLI HENRICI GEISLERI

PHIL. ET IVRISSC. DOCT. SER. LANDGR. CONS.

REG. PROF. ORD. IVR. PVBL. FACVLT.

IVRID. ASS.

1780, 1b

# OMMENTATIONES
# DE
# IVRE FISCI
# CIVITATVM IMPERII.

MARBVRGI
APVD IOHANNEM BAYRHOFERVM
CIↃIↃCCLXXX.

KOENFRIED UNIVERS. ZV HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-764164-p0029-7